DE
DIVISIONE PH

GENES. X. 25

DISSERI

SIMVLQVE

V I R I

CLARISSIMIS DOC

CHRISTIANO W
THALEMA

ET

AVGVSTO FR
LANGHEINR

SVMMOS IN PHILOSOP

LIPSIAE D. XII. FEBR.

ACCEPTOS

EORVM NOM

QVI SVB PRAESIDIO VIRI SVM

D. IO. CHRISTIANI HE

S. S. TH. P. O. REL

DISPVTANDO, MAXIME AD LIB

SE EXERCEN

GRATVLATVR

IOANNES CAROLVS

BVTTSTAD. THVR

L I P S I A

EX OFFICINA LANGE

E

PHALEGICA

S. X. 25

ERIT.

LQVE

R I S

DOCTISSIMIS

) WILHELMO

MANNO

T

FRIDERICO

INRICHIO

OSOPHIA HONORES

. FEBR. CIↃ IↃCCL

EPTOS

NOMINE

VIRI SVMME REVERENDI

I HEBENSTREITII

P. O. REL

AD LIBROS SYMBOLICOS

ERCENT

VLATVR

AROLVS KREBS

AD. THVR

SIAE

LANGENHEMIANA.





Saepius eſt ſuperioribus ſaeculis a Doctiſſimis Viris agitata, de gentium Americanarum origine, quaeſtio, in eo poſita, quanam via ex noſtro orbe in incognitum illum, et a noſtro immenſum quantum remotum, peruenerint. Et profecto, cum ſacrarum literarum obſtet auctoritas, quominus earum originem aliunde repetamus, quam a Noachi poſteris, quem vnum parentem, auctoremque totius poſt diluuium generis humani perhibent; Americam autem vaſtus oceanus a Veteri Orbe diſtineat: digna ſane erat quaeſtio, digna materia, quam doctiores tractarent manus. Itaque multi iique doctiſſimi Viri, ad hoc certamen quaſi conuocati, omnes ingenii ſui iudiciique vires intenderunt, vt tam nobilis victoriae gloriam reportarent. In eo autem certamine omnes fere pugnarunt ſic, vt alter alterius coniecturas, (in hoc enim genere vix eſt, vt ſupra probabilitatem poſſis exſurgere) infirmas plerumque ac debiles, euerteret, et aliarum ruinis ſuam, tanquam tropaeum, ſuperſtrueret. Animus nunc non eſt, omnes Doctorum Virorum, innumeras prope illas, opiniones, et, quae vnamquamque premant, quae plane opprimant, difficultates, hic commemorare, praeſertim, cum Doctiſſ. Latius, Libro de Gent. Americ. Orig. adu. Grotium, hoc labore ſatis diligenter functus ſit. Hoc vero pro certo poni a me poſſe arbitrer, maximis, neque facile tollendis, vnamquamque earum difficultatibus laborare. Quo minus improbandum eſt, ſi quis de noua minusque impedita ra-

tione cogitauerit. Atque eam protuliſſe videatur Celeb. Vir I O. ALBERTVS BENGELIVS, qui quidem in ordine Temporum p.54. et 167. ex loco Moſis Gen. X. 25. ſtatuit, Americam, olim Europae Africaeque coniunctam, aliquando ingenti inundatione et terrae motu a reliquo orbe diuulſam eſſe atque ſeiunctam. Quae ratio cum legenti mihi et nouitate ſua, et facilitate quadam, commendare ſe probareque videretur, animum ſubiit, paulo accuratius eam conſiderare, et quae pro confirmanda ea, infirmandaue poſſent dici, videre. Iam cum hic dies VESTER, VIRI DOCTISSIMI, quo ſummi VOBIS honores, diu iam diligentiae VESTRAE et doctrinae elegantiori debiti, ab Ampliſſimo Philoſophorum Ordine deferuntur, poſtularet a nobis laetitiae noſtrae et amicitiae aliquod in VOS documentum; exhibendi autem illius prouincia, felici quodam meo fato, ad me eſſet delata: hanc quidem non nego cum inſigni voluptate a me eſſe ſuſceptam, partim, vt VOBIS, AMICI SVAVISSIMI, animum meum amiciſſimum probarem, et Summe Venerandi Praeſidis Amicorumque de me iudicio et voluntati obtemperarem, partim, vt, quae ſuper Doct. BENGELII ſententia in vtramque partem cogitauiſſem, proferrem. Cum enim vererer, ne aut gaudii noſtri voluptatisque veritatem longiori oratione ſuſpectam redderem, aut ampliori laudum VESTRARVM explicatione aures VESTRAS modeſtiamque offenderem: non male facturum me eſſe putabam, ſi de hac re, VOBIS fortaſſe non ingrata, certe non aliena a VESTRIS ſtudiis, diſſererem. Quae itaque TECUM quidem, DOCTISSIME THALEMANNE, AMICE CARISSIME, nuper priuatim communicaui, in hanc Viri Docti, de Diuiſione Phalegi tempore facta, ſententiam cogitata mea, ea, hoc die VESTRO, publice limatiſſimo VESTRO VTRORVMQVE iudicio, liceat ſubiicere. In ea autem re ita verſabor, vt, primo, quaecunque aliquam pro ea defendenda vim habere putem, quantum poſſim, proferam: deinde vero, quae contra moneri poſſint, pariter exponam. In magna inprimisque iucunda felicitatis meae parte habebo, ſi VOBIS haec qualiacunque non improbata fuiſſe videro.

Cl. igitur BENGELIVS ſententiae ſuae praeſidium collocat in loco Geneſeos X. 25. vbi Moſes auctor eſt, natos eſſe Ebero duos filios, quorum alteri nomen fuerit Peleg, *quod in diebus eius terra diuiſa ſit.* Verba haec ſunt: ולעבר ילד שני בנים שם האחד פלג כי בימיו נפלגה הארץ Quod ſi Vir D. ſuam ſententiam, quam pauciſſimis verbis indicauit

cauit potius, quam explicauit, vellet vberius curatiusque exponere, ſic fortaſſe, niſi fallor, diceret. Fingite enim, VIRI DOCTISSIMI, aut, BENGELII ſententiam eandem eſſe meam; aut potius, Illum per me, tanquam interpretem, VOBIScum loqui: certe, quae pro hac ſententia commendanda dici poſſint, me nunc exponentem audite.

Interpretes igitur omnes verba haec ita capiunt, vt Diuiſionem linguarum atque gentium, circa tempus exſtructae turris Babylonicae factam indicari putent, atque adeo pro eadem habeant Diuiſionem Phalegianam et Diſſipationem Babylonicam, ſeu Patriarchalem. Namque ii etiam, qui diuiſionem Pelegianam a Noachica diſtinguunt, vt Marshamus, Fr. Spanhemius aliique, in eorumdem cenſum veniunt; vt qui ſeceſſionem Noachicam priorem Babylonica, quam iidem etiam Phalegianam appellant diuiſionem, fuiſſe exiſtiment. Quodſi communis Interpretum conſenſus indubitatum ſemper eſſet veri indicium, haec ſane opinio omnium iudicanda eſſet certiſſima. Sed quamuis perpetuo Doctiſſ. Virorum conſenſu nitatur, nihilo tamen minus, vt mihi quidem videtur, a vero illa eſt remota; videnturque egregie falli, qui Diſſipationem Babylonicam, male cum diuiſione, facta Phalegi tempore, mixtam verbis נפלגה הארץ indicari opinantur. Quid enim? ſi voluit Moſes per hanc Diuiſionem, factam Natalibus Phalegi, indicare diuiſionem aliquam politicam aut genealogicam, quinam factum eſt, vt, cum in aliis locis omnibus, vbi de Diſperſione Babylonica et Seceſſione Patriarchali ſermo eſſet, ſemper iisdem verbis vteretur, in hoc vno loco nouum atque inſolens adhiberet? De familiarum enim diuiſione ſemper dicentem, aut פוץ, vt Cap. XI. 4. 8. 9. IX. 19. aut פרד, Cap. X. 5. 18. 32. et vbicunque de ea loqueretur, v. c. Gen. XLIX. 7. Deuter. XXXII. 8. etc. quid tandem mouit, vt in hoc vno, quod de diuiſione Phalegica agit, commate 25. longe aliam vocem, פלג, poneret? Quid ei ſcriptori accidiſſe putabimus, qui, ſi in argumento, quod ſaepius repetat, iterum iterumque retractet, vſitatis et quodammodo familiaribus verbis vtatur, ſtatim in aliquo loco, tamquam de via, declinet, et vocem, a qua ceteroquin omnino abſtinet, repente et nullo plane conſilio adhibeat? Quam igitur huius mutationis aliam rationem afferas, niſi hanc, vt dicas, voluiſſe Moſen non eam rem, quam alias verbis vſitatioribus exprimit, diſperſionem dico Babylonicam ſed aliud deſignare,

re, ab illa diuersum? Quod etiam mouisse quosdam Eruditos fatetur Perizonius, Or. Babyl. p. 372. vt aliud quid indicari potius putarent, quam illam e terra Sinear dispersionem: et fuisse, ait, Theologum Celebrem, qui duplicem secessionem tueretur, hoc vel maxime nixus argumento. Neque forsan abs re fuerit, etiam hoc adiicere, quod οἱ LXX. cum voces פוץ et ברד semper iisdem verbis, modo διασπαρῆναι, modo ἀφορισθῆναι redderent, ad vertendum פלג, διαμερισθῆναι adhibuerint. Quid aliud hinc colligas, quam, Alexandrinos etiam Interpretes פלג intellexisse ita, vt aliud quid, quam vocibus פוץ et ברד, indicari putarent. Nempe dubitare quenquam nullo modo sinunt diuersae istae voces, diuersum esse a Dispersione Babylonica, quod de Phalego Moses tradit. Mirabimini, VIRI ERVDITISSIMI, quomodo tandem factum sit, vt omnium tamen temporum Interpretes in hac explicatione conspirarent. Sed facilis fuit ea in re errandi locus. Scilicet induxit eos hoc, quod statim capite sequenti fusius exponeretur dispersionis Babylonicae ratio: quam cum scirent non diu ante Phalegum accidisse; vti vel inde colligi potest, quod Nimrodus, turris et regni Babylonici condendi auctor, tertius fuit a Noacho, Phalegus autem quintus, siue interposito, ex ratione graeca, Cainane, sextus; hoc itaque cum scirent, eam ipsam dispersionem a Mose etiam hic indicari putauerunt. Hanc autem sententiam interpretationemque cum Veteres Interpretes, Iudaei, protulissent, eam, quia se facilitate sua facile commendaret, probatam ideo Priscae Ecclesiae Doctoribus, Recentiores deinde Interpretes omnes receperunt, sic, vt nunc verae et legitimae locum auctoritatemque obtineat. Non autem fuisse hanc Mosis mentem, cum verba ista scriberet, ex iis, quae modo dicta sunt, satis apparere puto.

Iam igitur quaeritur, verbis his nouis et insolitis נפלגה הארץ quid noui et insoliti Moses significare voluerit? Nempe verborum istorum haec vis et potestas est, vt, non dispersionem gentium, sed magnum terrae discidium, irruentium aquarum vi et eluuie, paulo ante quam nasceretur Phalegus, cui nomen inde venit, constitutum, declarare videantur. Quam sententiam, vt VOBIS, VIRI PRVDENTISSIMI, probem, cum ea sit firmissima ac verissima explicatio, quae nitatur vsu loquendi, et in qua demonstrare possis, vulgo adhibita esse vocabula eo sensu, quo tute explices, video nihil prius mihi antiquiusue ducendum

dum esse, quam vt ostendam, hanc interpretationem vocem פלג admittere. Atque tantum abest, vt eam recuset, vt potius mirifice commendet, immo vnice exigat. Eiusmodi enim *terrarum diuisionem*, indicat haec vox, *qua terra aquarum interluuie dehiscit, et in partes diuersas scinditur.* Perspicue patet hoc ex Iobi Cap. XXXVIII. 25. מי־פלג לשטף תעלה *quis diuisit inundationi canalem?* Iam si Dauid Ps. LV. 10. orat, בלע אדני פלג לשונם *absorbe, Domine, diuide linguam eorum:* quis non intelligit, tanquam Synonyma poni בלע et פלג, vt בלע sit effectus verbi פלג, tanquam causae; et sensum esse hunc: plane tolle e medio, o Domine, maledicos et inimicos meos, ita vt terrae hiatu aquarumque voragine absorpti videantur. Apud Chaldaeos autem et Talmudicos haec vox adhibetur ita, vt dimidiare, et in duas partes per medium secare, significet. Apud Danielem II. 4. occurrit מלכו פליגה *regnum dimidiatum.* Ducitur inde פְּלַג quod Syri פלגא efferunt, *dimidium, medium.* De voce Syriaca testatur vicus quidam, Phalga nomine, apud Euphratem, qui nomen traxit non a conditore, vt quidam putant, Phalego, sed quod medius inter duas Seleucias, Pieriam atque Babyloniam, interiacet. Docet hoc ex Arriano Stephanus in voc. Φάλγα; *κώμη μέση σελευκίας τῆς πιερίας καὶ τῆς ἐν μεσοποταμίᾳ. Ἀῤῥιανὸς ἐν ι παρθικῶν· ἡ δὲ Φάλγα γλώσσῃ ἐπιχωρίῳ τὸ μέσον δηλοῖ.* Vocis autem Chaldaicae eandem esse vim, probat Daniel VII. 25. vbi dicitur פְּלַג עִדָּן *ἥμισυ καιροῦ*, id quod XII. 7. per חֵצִי exprimitur. Atque haec vocis notio mouisse videtur Suidam, aut quemcunque is descripsit, vt nouam nobis interpretationem rationemque nominis Phalegi fingeret. Dicit nempe, ab Adamo vsque ad Natales Phalegi annos effluxisse MMM, (graecam videlicet Chronologiam sequitur) totidemque a nato Phalego vsque ad Christi aduentum: Nomen itaque putat hoc Phalego imposuisse patrem, quia prophetico spiritu praeuideret, illud tempus, quo nasceretur Phaleg, esse ipsum dimidium siue medium aetatis mundi vsque ad Christum. Verba eius haec sunt: *Φαλὲκ κατὰ τὴν προφητικὴν φωνὴν τὸ ἥμισυ λέγει τοῦ χρόνου τῆς χριστοῦ παρουσίας. Ἀπὸ γὰρ Ἀδὰμ μέχρι τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ Νῶε ἔτη βσμβ. ἀπὸ δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ τοῦ Φαλὲκ ἔτη ψνη, ὡς γίνεσθαι ἔτη τρισχίλια· ἀπὸ γὰρ κτίσεως κόσμου μέχρι τῆς ἀναλήψεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔτη ἑξακισχίλια.*

Cum

Cum etiam verbi aliqua ſignificatio egregie poſſit ſtabiliri ſic, ſi adducantur voces, quae ab eo deſcendant, natiuamque notionem tueantur, quid magis poteſt conferre ad confirmandam eam, quam dixi, verbi פלג vim, quam, quod ab iſto fonte deriuatur, nomen פֶּלֶג *riuus*; quod quidem terrae, aquarum alueo perruptae, notionem clariſſime confirmat. Non minoris euidentiae argumentum ex lingua graeca peti poteſt, vbi nota eſt vox *πέλαγος*, quae extra controuerſiam ex Ebraica lingua originem duxit, quicquid contra ineptiant Graeculi, qui abſurde prorſus ex graeco *τῆλε τῆς γῆς*, vt ſit pro *τήλαγος*, aut ex *τῷ μὴ πέλας γῆς* deſcendiſſe iactant, notati eo nomine etiam Caſaubono ad Strabon. L. I. p. 30. Longe rectius ducit Clericus, ad Heſiod. Theog. v. 131. e lingua Phoenicia, vbi פלג eſt *alueus, in quem aqua deriuatur*. Quid? quod פלגים non modo *riuos* et fluuios, ſed ingentes etiam *aquarum rupturas* ſignificant? Sic Targum Ionathanis verba Eſaiae XXII. 9. ita vertit וְיַת פְּלוּגַת קַרְתָּא דְדָוִד חֲזֵיתוּן, vbi vox פלוגת reſpondet voci Ebraici textus בקיעי i. e. fiſſurae. Hinc fit, vt *οἱ* LXX. vocem hanc modo *ὁρμὴν ὑδάτων*, vt Prouerb. XXI. 1., modo *ὅρμημα*, vt Pſ. XLV. Ebr. XLVI. v. 5. modo *ὕδωρ φερόμενον* vertant, h. e. aquam vehementi motu agitatam, apud Eſaiam puta, XXXII. 2. Aquila vero *ἐντίναγμα*, *concuſſionem*. Ex his igitur manifeſta eſſe et euicta videtur ea vocis פלג vis et poteſtas, vt in noſtro loco per verba נפלגה הארץ nihil aliud intelligatur, quam quod ingenti vndarum, vehementique impetu maximum terrae diſcidium factum ſit. Atque haec interpretatio vnice probata eſt Summo Loeſchero, *τῷ νῦν ἐν ἁγίοις*, in Hiſtoria Arcana Veteri, praemiſſa Humphredi Prideaux Hiſt. Sacrae cum Profana connexae, p. 30. Dicit enim male ſuas partes egiſſe Interpretes, qui verba Moſis נפלגה הארץ de Diſſipatione gentium per terras explicarent, clarisſime docente verbo פלג, factam eſſe eam diuiſionem ingenti aquarum inundatione, qua terrae ruptae diuiderentur. Premere quidem hancce ſententiam videri posſit id, quod affert Doctiſſimus Perizonius in orig. Babyl. p. 372. vbi Diſceſſionem Babylonicam et Diuiſionem Phalegicam eſſe eandem, inde probare nititur, quod Iudaei, Aben Ezra puta, Auctor *τοῦ* Seder Olam et alii, Diſperſionem, e confuſione linguarum ortam, interdum etiam הפלגה appellent: verum VOS, AMICI DOCTISSIMI, non magnopere, opinor, commouebit haec ratio, cum facile perſpiciatis, ita potius

potius argumentandum esse: Iudaeos,quod, vti supra dictum est, praeiudicatum haberent, vt omnes fere Interpretes, Dispersionem, perturbatis linguis ortam, et Diuisionem, quae sub ortum Phalegi acciderit, esse eandem, ideo istam quoque, Secessionem Babylonicam, voce הפלגה insigniuisse. Adeoque intelligitis, hunc Rabbinorum errorem nihil morari nostram, vsui loquendi, optimo verborum interpreti accommodatam, interpretationem, quae diuisionem Phalegianam de magna Orbis ruptura, qua regiones a se inuicem abruptae, et inter iectis aquis diuisae sunt, intelligendum esse censet.

At, inquietis VIRI ERVDITISSIMI, etiamsi demus hoc, per Diuisionem, Phalegi tempore factam, intelligendam esse ingentem aliquam terrae ruinam, quomodo eam de clade quadam terrae Americanae accipiendam esse, probabis? tum vero, quibus causis, qua stupenda vi, terram tanti, prope infiniti, spatii euerti potuisse, ostendes? Ego vero puto me habere, quae etiam hic non improbabiliter respondeam. Nam causas quidem huius rupturae ducendas esse existimo ab ingenti diluuio Noachico, quo, perruptis abyssi fontibus, et aquis magna vi prouolutis, terra, maximis motibus concussa, passim dehisceret: tum enim, dubium non est, quin, omnia tenentibus aquis, et aliis aliunde partibus, propter madentem intus et fatiscentem molem auulsis, terrae forma sit plane immutata. Scilicet quod aedibus accidere solet, vt aut vetustate exesae, aut inundatione maceratae, aut terrae motu concussae rimas agant, nutent, concidant; hoc idem terrae moles in illo diluuio passa esse videtur, vt diluta aquis inundantibus, crebrisque motibus quassata, sensim paulatimque resoluta dilaberetur. Hinc absorptae non modo vrbes, sed totae regiones et insulae: hinc submersi magni continentis tractus penitusque hausti: omnia magni illius et vniuersalis diluuii effecta. Vid. Raius in Obseruatt. Phys. de Mundo c. 5. et Burnetius in Theor. Tell. c. 7. sqq. Vt ex innumeris exemplis aliquot tantum, maxime notabilia illa, eligam, inprimis infamis est illa clades, quam circa Olympiadem C. totam fere Achaiam concussisse, pluribus ciuitatibus, Bura praesertim et Helice, deuoratis, auctor est Diodorus Sic. L. XV. p. 363. seq. Et Apuleius (de Mundo p. 408. Ed. Colu.) „Immodicis, inquit, tremoribus terra„rum dissiluisse humum, et interceptas vrbes cum populis saepe cogno„uimus. Audiuimus etiam abruptis imbribus prolutas esse totas re-

B „giones.

„giones. Orientis regiones Phaetontis ruina, in Occidentis plagis „ſcaturigines quaedam ac proluuiones easdem ſtrages dedere.„ Sic ſatis conſtat, Siciliam ab Italia, Cyprum a Syria, a Boeotia Euboeam eſſe auulſam. Plinius H. N. II. 88. Inprimisque notatu dignum eſt, quod de Inſula Taprobane, Zeilan hodie vocant, referunt vicini Malabari; coniunctam eam olim fuiſſe Maldiuis, verum aliquando totum illud, quod nunc intercedit, ſpatium oceani faucibus eſſe abſorptum. Vid. tamen Voſſius ad Melam L. III. c. VII. p. 570. ſqq. Quod igitur aliis vtique terris et inſulis accidiſſe videmus, vt aut terra continenti abſcinderentur, aut Oceano abſorberentur, hoc Americae quoque factum eſſe, cur non credamus?

Atque hoc extra dubium ponere mihi videtur nobilis illa, apud Platonem in *Timaeo T. III.* p. 24. Ed. Serr. inſula Atlantis. Refert ibi Plato, ex ore Solonis, qui id a Saiticis Sacerdotibus, omnis antiquitatis promis condis didicerat, iacentem in mari Atlantico inſulam, tota Africa et Europa maiorem, aliquando terrae motibus et ingenti aquarum proluuie concuſſam ſubſediſſe et diſparuiſſe. Straboni, maxime idoneo harum rerum iudici, eique minime credulo, hoc tam verum viſum fuit, vt, cum Poſidonium in plurimis refelleret, hoc recte, laudaret, ab eo eſſe poſitum, terram aliquando attolli, aliquando ſubſidere mutarique variis motibus; *πρὸς ὃ*, pergit, (L. II. p. 160.) *καὶ τὸ τοῦ Πλάτωνος εὖ παρατίθησιν, ὅτι ἐνδέχεται καὶ μὴ πλάσμα εἶναι τὸ περὶ τῆς νήσου τῆς Ἀτλάντιδος, περὶ ἧς ἐκεῖνος, ἱστορῆσαι Σόλωνα, φησὶ, πεπυσμένον παρὰ τῶν Αἰγυπτίων ἱερέων ὡς ὑπάρχουσά ποτε ἀφανισθείη, τὸ μέγεθος οὐκ ἐλάττων ἠπείρου.* Hic autem inſulae *ἀφανισμὸς* ita intelligendus eſſe videtur, vt non tota illa terra, Africa et Aſia ſimul maior, abſorpta ſit ab Oceano, ſed inſignis tantum pars, quantum nempe ſpatii inter Nouum Orbem (hanc enim eſſe Platonicam Atlantidem, vix dubium eſt) et Veterem extendatur: quo facto, tota inſula, altera quippe eius parte, vt facile intelligitur, longius remota quam vt conſpici poſſet, tota inquam, periiſſe credita eſt. Ita concidit etiam difficultas ea, quam mouet Doctiſſ. Weſſelingius ad Diodorum Sic. L. V. p. 344. quum, optime, ait, conuenire Platonis Atlantidem cum America, niſi eam fluctibus hauſtam prorſus diſparuiſſe dicat Plato. Omnino autem Atlantidem hanc eſſe Americam, plurimis Doctiſſ. Viris, Ruperto, ad Valer. Max. IV. 4.

Er.

Er. Schmidio, in Diss. de America: Perizonio, ad Aelian. V. H. III. 18. inprimisque Lipsio Physiol. Stoic. L. II. Diss. XIX. certum indubitatumque visum fuit; et sunt rationes non poenitendae, situs, magnitudo insulae, felicissimus terrae habitus, et multa alia, quae credere hoc non tam suadent, quam cogunt. Fatendum quidem est, multa accessisse illi narrationi fabulosa, vt fieri solet in rebus antiquis: verum ideo non omnia sunt pro falsis reiicienda. Scilicet semper latet aliquid veri sub fabulis, sed saepe ita reconditum illud, vt vix erui possit. Quid igitur mirum, si etiam in hac vetustissima, de Insula Atlantica, traditione multa sint, quae minus cum veritate consentire videantur. At verum sit, quantum libet, (vt Witsii Miscell. T. II. Exerc. XIV. §. XLV. verba mea faciam,) certe hoc ex illo Platonis sermone manifestissime apparet, vetustissimis temporibus Americam Africae et Europae fuisse propiorem, sed aliquando terrae motu et inundatione interruptam plane ex hominum conspectu euanuisse.

Iam probata submersae Atlantidis seu Americae veritate, quo tempore facta sit ista eius iactura, et num ad Phalegi tempora adscendat, videamus. Atque hic ipsi intelligitis, AMICI, quam in scopuloso itinere ac loco verser, cum propter nimis exiles antiquorum monumentorum reliquias nihil difficilius sit, quam eorum temporum designatio. Antiquissimis tamen, neque diu a diluuio vniuersali remotis temporibus accidisse eam submersionem, haec probant, quod Solon, cum, Sacerdotes Aegyptios ad colloquium de antiquis temporibus prouocaturus, mentionem iniiceret Phoronei, Inachi filii, et Niobes, qui floruerunt fere circa Abraami tempora, tanquam temporum valde antiquorum, (quod etiam notauit Eusebius in Chronico ad ann. Abr. CCXI.) irrisus est, exprobratâque ei Graecorum in rebus antiquis ignorantiâ (ὑμεῖς δὲ ἕλληνες ἀεὶ παῖδες, γέρων δὲ ἕλλην ἐδεὶς,) a summo Sacerdote, nomine Patenit, longe alia, de ratione temporum priscorum, et facta inprimis tum terrae Atlanticae in Oceano iactura, edoctus. Cyrillus quidem, adu. Iulianum L. I. p. 10. Ed. Lips. diluuium Noemiticum existimat obscure a Platone innui, vt qui Sacerdotes inducat referre Soloni, quod haec Atlantidis inundatio ante diluuia, Graecis nota, Deucalioneum puta, Ogygium etc. facta sit. Atqui, nullum, ait, antea fuisse aliud diluuium, quam vniuersale Noachicum: itaque hinc efficit, hoc ipsum esse intelligendum.

Verum refellitur quodam Diodori Siculi L. V. p. 223. teſtimonio, qui veterem aliquam Samothracum, antiquiſſimarum gentium, refert traditionem, ex qua apparet, ante illa Graecis nota diluuia apud ſe ingentem fuiſſe inundationem, cum, Bosporo et Helleſponto perruptis, Pontus ingentem vim aquarum effunderet, et obuia quaeque fluctibus demergeret. Verba haec ſunt: *οἱ δὲ Σαμοθρᾶκες ἱστοροῦσι πρὸ τῶν παρὰ τοῖς ἄλλοις γενομένων κατακλυσμῶν, ἕτερον ἐκεῖ μέγαν γενέσθαι, τὸ μὲν πρῶτον τοῦ περὶ τὰς Κυανέας στόματος ῥαγέντος*, (quae etiam fuit Stratonis ſententia, vid. Strab. L. I. p. 85.) *μετὰ δὲ ταῦτα τοῦ ἑλλησπόντου· τὸ γὰρ ἐν τῷ πόντῳ πέλαγος, λίμνης ἔχον τάξιν, μέχρι τοσούτου πεπληρῶσθαι διὰ τὸν εἰσρεόντων ποταμῶν, μέχρις ὅτου διὰ τὸ πλῆθος παρεκχυθὲν τὸ ῥεῦμα λάβρως ἐξέπεσεν εἰς τὸν ἑλλήσποντον, καὶ πολλὴν μεν τῆς Ασίας, τῆς παρὰ θάλατταν, ἐπέκλυσεν.* Videtis, VIRI DOCTISSIMI, Samothracas idem praedicare de Helleſponti et Boſpori inundatione, quod de Atlantidis ruina Sacerdotes Saitici, factam eam eſſe diu ante nota Graecorum diluuia. Quid vero, ſi vtramque hanc inundationem, in vnum tempus coniectam, iisdem violentis terrae concusſionibus, iisdem proruentium aquarum fluctibus daremus? Num nimis a vero aberraremus? mihi non videtur. Atque ſic quidem optime conſtaret, amiciſſimeque conſpiraret noſtra opinio cum B. Loeſcheri (loc. ſupra laud.) coniectura, qui hanc ipſam Helleſponti inundationem nomen dediſſe Phalego opinabatur.

At, erunt haud dubie, qui, cum inter diluuium Noachicum et Natales Phalegi vix C. annorum ſpatium intercedat, breuius id eſſe putent, quam vt credi poſſit, tam paucis annis tot gentium conditores e tribus Noachi filiis eſſe propagatos, vt per Africam in Americam vſque penetrare poſſent. At mirum hoc aut incredibile videbitur nemini, qui cogitauerit, eſſe hoc ſingulari Dei cura et prouidentia factum, vt genus humanum tum augeretur ſubito, quo citius orbis, vnice hominum cauſa facti, vaſtitas incolis repleretur. Quod ſi ponas, ſingulis annis ſingulos generaſſe, et eandem natis tribuas ab anno aetatis XX. foecunditatem, potuerunt iſto ſeculo naſci multa millia hominum. Poſſumus ad hanc multitudinem probandam egregie vti Diagrammate propagationis hominum, quod Petauius Doctr. Temp. IX. 14. exhibet eo conſilio, vt, idoneum fuiſſe hominum numerum, Seculo II.

lo II. post Diluuium, tot regnis, quot dicantur, condendis, ostendat. Neque parum nos adiuuet diligentia Iac. Vsserii Chronol. S. c. XI. p.63. sq. quam posuit in demonstrando illo ingenti intra CC. annos Israelitarum, in Aegypto, incremento. Ex his rationibus satis apparere puto, non esse timendum, ne Seculi a Diluuio vsque ad natiuitatem Pelegi spatium tot gentium auctoribus et incolis producendis non suffecerit.

At, cum exstructio turris Babylonicae et secuta illam Dissipatio hominum, ex vulgari quidem ratione, Natales Phalegi vix anno praecedat, quomodo fieri potuit, vt incolae intra illud anni spatium vsque in Americam peruenirent? Antequam huic difficultati tollendae manus adiicimus, ante omnia constituendum nobis esse videmus hoc, vt quo tempore turris Babylonicae aedificatio, et orta inde humani generis separatio acciderit, quantum fieri potest, teneatur. Summi quidem Chronologi omnes collocant eam in annum a diluuio CI. quo Peleg natus est · sed quonam argumento nixi? nempe falsissimo illo, et a nobis iam refutato, quod diuisionem Phalegianam cum Distractione Babylonica permiscent. „Tempus, *inquit Bochartus* Phaleg. I. 10. quo turris Ba„bylonica condita est, satis determinat Moses Gen. X. 25. quia in eius „diebus terra diuisa est, quod idem est, ac si dixisset, terram fuisse di„uisam, quo tempore Phalegus natus sit: Nascenti enim a Patre nomen „inditum. Phaleg autem natus est anno post Diluuium CI. vt constat „ex Gen. X. 11-16. Itaque eo anno hominibus dispersis diuisa est terra.„ Alio argumento vtitur Shukford in Harm. Hist. S. et Prof. Vol. I. p. 71. et 99. qui turrem Babyl. exstrui coepisse anno M.C. 1736. colligit e testimonio Eusebii, in Chron. p. 11. *ἀρξάμενοι*, aientis, *βψλς ἔτει οἰκοδομεῖν τὸν πύργον*. In quo tamen numero manifestum errorem esse dicit, *β* posito pro *α*: emendatque adeo *αφλς*. Sed contine manum, Shukforde! male emendas. Scilicet Eusebius sequitur rationem, non textus Ebraici, sed *τῶν ό*, aliter sane, quam ab initio sui operis promiserat; vid. Scaliger in Animadu. ad Euseb. p. 12. et in Notis ad Graeca p. 3. Verum, agite, reuocemus illum annum 2736. Eusebii et *τῶν ό*, ad annum Chronologiae Ebraicae. Dicit Eusebius, coeptam turris Babylonicae exstructionem anno 2736. per quadraginta annos durasse, ad annum nempe 2776. Verba eius haec sunt: *ἀρξάμενοι τῷ καθολικῷ βψλς ἔτει οἰκοδομεῖν τὸν πύργον, ἔμειναν οἰκοδομοῦντες ἐπὶ ἔτι μ΄, ἑὼς τοῦ κοσμικοῦ βφος, ἐν τούτῳ γὰρ τῷ ἔτει διεσπάρησαν ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην*, quod

idem

idem Eusebius paulo ante dixerat accidisse in ortu Phalegi. Respondet igitur annus Eusebii 2776. anno Ebraicae rationis 1757. Iam demtis vtrique rationi 40. illis, in aedificando consumtis, annis, remanent Eusebii annus 2736. et vulgaris s. Ebraicae Chronologiae annus 1717. Hoc igitur anno M. C. 1717. qui est annus Mundi Diluuio Perditi 60. turris Babylonica aedificari coepta est. Iam ponamus annos 20. etiam 30. in exstruenda turri effluxisse, cum Deus prohibito linguae consortio dissiparet homines, (nam quod Eusebius 40. annos constituit, id fecit propterea, vt tempus ab anno, quo fundamenta condendae turris posita sunt, extenderetur ad Natales Pelegi) et intercedunt inter Dispersionem hominum et Disruptionem Phalegianam, 10. et plures anni. Quae cum ita sint, an negabimus, intra decennium et vltra potuisse homines longe latissimeque sedes transferre suas, et in remotissimis terris figere? an incredibile erit, quasdam familias etiam in Americam, reliquo Orbi tum adhuc adnexam, peruenisse? praesertim si cogitauerimus, singulare Dei numen ac prouidentiam in toto illo Dissipationis negotio intercessisse.

Namque separationem istam, non per sortes Rhinocolurae iactas, vti tradit Epiphanius in Haeresi Manich. §. 83. inductus versione LXX. virali apud Esaiam XXVII. 11. factam esse, sed θεηλάτῳ quodam impetu diuinitusque procuratam, Act. XVII. 26. conf. Deuter. XXXII 8. ita vt arcano quodam motu in orbis partes remotissimas agerentur, rectissime statuunt Heideggerus in Hist. Patriarch. Exerc. XXII. §. 10. et Bochartus in Phaleg. I. 6. qui simul adprime admonent, verisimile maxime esse, non singulos homines, (sic enim periisset societas) sed singulas familias linguam habuisse peculiarem; aut certe iis familiis communem fuisse dialectum, quas in futura dispersione voluerit Deus in vnam coloniam coalescere. Atque hoc mihi Moses etiam videtur indicare voluisse, cum diceret, Gen. X. 5. dispersas esse gentes secundum linguas suas et familias. Idem enim hoc est, ac si dixisset, vnamquamque familiam pro ea lingua, quam in confusione Babylonica accepisset, ab altera secessisse.

At dispersio ista tarde, et paulatim, neque statim in regiones valde remotas, sed propiores tantum facta est. Quae enim ratio, quae necessitas, vt in longe dissitas abirent, suppetente in propinquioribus satis amplo ad commode habitandum spatio?

tio? Nonne videmus Abraamum et Iacobum, Gen. XIII. 9. seqq. XXVII. 11. seqq. longo tempore post, in itineribus suis ipsam Syriam et Cananaeam, regiones maxime propinquas, non modo non refertas incolis, sed valde etiam vacuas offendisse? Speciosa vtique oratio. Neque ego magnopere contenderim, statim in omnes eas terrae partes, quae memorantur Gen. X. Thraciam, Graeciam, Insulas maris etc. fuisse migratum: Refellit enim hoc profana historia, ex qua Graeciam, aliquanto post demum habitari coepisse, scimus. Interim tamen neque hoc negari potest, a quibusdam familiis satis remotas regiones statim esse occupatas. Satis constat, ipsum Chamum *) cum familia sua abiisse Aegyptum (quae ideo ab auctore suo Χαμεία audit Ps. LXXVIII. 51. CV. 23. atque Plutarcho in Iside) regnumque ibi condidisse, cuius antiquitas non cederet Babylonico: vnde etiam Reges Aegypti vocantur Esa. XIX. 11. מלכי קדם, *reges antiquissimi;* eadem ratione, vti gens Babylonica Ierem. V. 15. גוי מעולם הוא, *quae ab aeterno fuit.* Eadem fuit regni Assyriaci antiquitas, quod ab Assure statim post dispersionem conditum est Gen. X. 11. Quid, quod illa ipsa loca, Gen. XII. 9. sqq. XXVIII. 11. sqq. quae oppugnare videntur nostram sententiam, eam egregie confirmant? Quod enim tempore adhuc Abraami et Iacobi in propinquis regionibus, Syria et Cananaea valde rarae longeque a se inuicem remotae sedes fuere hominum, quid aliud indicat, quam homines ex vniuersali separatione quam longissime latissimeque abiisse? Nihil itaque impedit, quominus etiam Americam, intercedente inprimis diuina prouidentia, eiusmodi colonia impletam atque cultam fuisse statuamus tum, cum Pelegi tempore נפלגה הארץ h. e. America a reliquo terrarum orbe diuelleretur.

Haec sunt, VIRI DOCTISSIMI, AMICI SVAVISSIMI, quae de Diuisione Phalegiana, ex mente Cl. BENGELII, pro ingenii mei tenuitate, disserere potui. Animus erat, isthaec argumenta ex ordine ad

*) „Quae enim esset causa, *verba sunt Vitringae ad Esa.* p. 536. Ed. Frcf., „quare Aegyptus potius dicatur terra Chami, quam Arabia, Phoenicia, „Aethiopia, Libya aliaeque terrae a progenie Chami insessae? Nulla cer„te, nisi quod Chamus ipse in Aegyptum venerit, ibique in Thebaide, „sedes fixerit, vnde Thebae Ebraeis vocantur נא אמון, *Sedes Ammonis,* „i. e. Chami, Diodoro autem Siculo L. I. p. 11. χέμμις, χεμμώ.

ad examen reuocare. Sunt e
litate in contrarium dici poſſ
Scriptoribus ita hoſpes eſt, v
verbis exiſtimet, vt non inte
primerent. Nec dum illa lo
ficatione afferuntur, ita clara
interpretatione acquieſcere p
tanta re, tam memorabili, ta
cutum eſſe. Neque exempl
ſatis probabilem hanc Ameri
rum exiguum ſit, quod perier
cum horum argumentorum
quod huiusce Diſſertatiuncul
tempus illud differam. VOB
mo hodiernos honores gratul
Largiatur Deus T. O. M. pro
mox Res Eccleſiaſtica magno
ctus capiat. Ita VOBIS ex
STRA virtus meretur, et no
terum, ſi quid in hoc die VE
ſic amore VESTRO nos co
certiſſimi eſſe ſemper poteſti



Sunt enim vtique, quae non minori prob bi-
ci possint. Quis enim in legendis antiquis
est, vt eos ita se adstrinxisse certis atque ratis
on interdum paulo rariori voce eandem rem ex-
illa loca, quae pro stabilienda verbi פלג signi-
ta clara et indubitata sunt, vt non in communi
scere possimus. Quis autem credat, Mosen de
ibili, tam parum definite, et adeo obscure lo-
exempla ista absorptarum regionum et insularum
Americanae terrae iacturam faciunt; cum illa-
perierit, spatium, huius fere infinitum. Sed
torum accuratius examen prolixius sit, quam
itiunculae finibus contineri possit, ad aliud
VOBIS autem, VIRI CLARISSIMI, ex ani-
es gratulamur, faustosque et felices esse iubemus.
M. prosperos studiis VESTRIS successus, vt
magnos doctrinae VESTRAE virtutumque fru-
BIS ex voto eueniant omnia, vti insignis VE-
, et nos ex animo sincero ac pio optamus. Ce-
die VESTRO nobis licet expetere, hoc est, vt
nos complecti pergatis, vti de nostro in VOS
potestis

